

*Quam domus Albuneae resonantis  
Et praeceps Anio, et Tiburini lacus, et vda  
Mobilibus pomaria viuis. —*

Quis hic non rursus miratur callidum, at verecundum va-  
tem! Omnes, quas antea dixit, vrbes terrasque, celebra-  
tis quibusdam tantum earum virtutibus, transiliit, quo  
Plancus in Tiburtinae potius villae descriptione omnem  
mentem et cogitationem figeret, illamque exulandi confu-  
gium deligeret. Tabula iam villae eius amoenissimae abso-  
luta grauiorane ac maiora ipse addit poeta inuitamenta,  
quae animum tristem a Rhodo ad domum Albuneae defle-  
stant? Acquiescit in hac descriptione elegans homo: vr-  
banitas tacere iubet, et ea, quae in animo ipsius agitan-  
tur, aculeos in animo Planci relinquere, atque adeo suffice-  
re sibi videbantur. Neque enim ab huius tabulae, comita-  
tem vrbanitatemque residentis, adspectu exulem nulla dul-  
ciori affectione motum esse omnino discessurum, poeta non  
confidit. Flaccus autem omissis, quae in animo reclusa ha-  
bere melius duxit, spiritu quodam quasi adflatus, audacior  
exsurgit, celeriterque in alia transit, quo factum est, vt  
nullum omnino sententiarum vinculum esse, et poeta nouum  
carmen orsus quibusdam videretur. At re paullo adcuratius  
aestimata, si ad mentem poetae diuiniorem, saltusque poe-  
tis familiares animum adpellimus, egregius cognoscitur artifex,  
et ex sententia sequenti ea, quae antea tacuerit ani-  
mo commoto homo diuinus, facile coniici possunt. Dice-  
re nempe voluit Plancus, et dixit sane, sed vrbanitatis qua-  
si velo obtegit, omnes Graeciae vrbes suavitate a Tibur-  
tina sua villa superari. Ad hanc itaque configiat, eam ex-  
ulandi domicilium sibi eligat, ibi aegritudini et curis vino me-  
deatur. Fieri enim posse, vt breui tempestates, quibus se  
iactari putet, componantur s). Verum haec εὐθεος poeta  
omit-

s) Bene huius saltus elegan- tiam exposuit Klozius in Opus-  
cul.